

voluntatis conformacione. hec enim tria ca-
dunt in angelorum caritate. **P**rimo dico quod
omnia nobis delectabilia subtraham. vñ
greg. Si quodlibet quod sine carnem de-
lectat abscondimus mor in deo quod delectat
inuenimus. nihil ergo delectet nos in infi-
mis. qui summam delectationem cupimus in
celis. si ergo bonum diligitur mens in bo-
nis melioribus id est in celestibus delectet.
Ite bern. Iustus est ut quos presentia non de-
lectant. presto sit eis memoria futurorum. **C**um
de his qui non proficiunt apud deum cam-
ponit di. Amant enim in carne sua terrenas
consolatiunculas. siue in verbo siue in signo
siue in facto. et si hec interrumpunt aliquan-
do non tamen penitus rumpunt inde est quod raro
affectiones suas erigunt in deum huius rei
cam designat greg. di. Anima sine delectati-
one esse non poterit. aut enim delectabitur in
infirmis et caret supremis. aut in summis et
contemnit infima. Secundum consistit in
diuine voluntatis conformacione. sic enim an-
geli diligunt ut semper velint quod deus. sic
et nos tam in prosperis quam in aduersis ex ple-
no affectu spiritus velimus quod deus. quod fi-
lius dei nobis proponit in seipso qui etiam in
passione sua voluntatem suam scindere no-
luit a patre dicens post orationem. **V**lexi non
mea voluntas fiat sed tua. propter quod ps di.
Doce me facere voluntatem tuam. quia deus meus
es tu. si enim deo hic in voluto conformamur. in ce-
lo sibi in glorificatione assimilamur. **T**ertium con-
sistit in bonorum operum multiplicatione. quorum
cumulum quanto maiorem facimus. tanto ignis
caritatis crassius et violentius inardescit.
Impossibile est enim ut opera que in caritate fi-
unt. caritate etiam non augmententur. sic granum
semis germinat herbam et eadem herba idem granum
in sepe reuiuificat cum augmento quod gen. i. dixit. **E**cce
cedi vobis omnis herba afferentem seminem super
terram. que hinc in semetipsa sementem sui gene-
ris. quod exponens ber. di. **C**um desideria bona
concipimus semen in terram mittimus. cum
vero opera recta producimus herba sumus
cum autem ad perfectum boni operis crescimus
ad spicam peruenimus. cum autem in perfectione
eiusdem operis solidamur. iam plenum fru-
mentum in spica peruenimus. **R. T**erci

um quod habent angeli supra se ad deum con-
sistit in alacri laudatione. semper enim et sine in-
termissione deum laudant sicut supra laude
est ostensum. sic et nos deum continue col-
laudemus quam laudem tunc veraciter of-
ferimus si omnia que agimus in laudem do-
mini ordinamus quod apostolus monet di-
cens. **O**mnia que facitis siue in verbo siue
in facto. omnia in laudem domini facite.
Hic per ps. dicit dominus. **S**acrificium lau-
dis honorificauit me. **V**erum quia laus an-
gelorum veraciter est mentalis et spiritualis
ideo tunc in laudando deum maxime ange-
los imitamus. quando pre nimio affectu lau-
dis obmutescimus non inuenientes verba
que affectui sufficiant vel que valeant in ali-
quo respondere. talis enim laus est maxima
et laudi angelorum maxime correspondet.
Unde greg. super illo verbo ps. **L**audate
dominum secundum multitudinem magnitudinis
eius di. **D**iuine magnitudinis facta tunc ve-
rius explemus. cum hic nos explete non posse
cognoscimus tunc facundius loquimur cum
ab his obstupescendo obmutescimus. **I**lle
ergo deum secundum multitudinem magnitudinis
maxime laudat. qui se succumbere in eius lau-
dis expletione consistat. in his ergo tribus. scilicet con-
templatione dilectione laudatione. si angelos imitabi-
mur ad eorum virtutum consortium veniemus nos
illuc perducite iesu christo. **LXXXIX**

De eodem sermo tertius.

E runt quasi an-
geli dei in celis. **M**at. xxij. **D**i.
gre. quod superna ciuitas ex angelis
et hominibus consistit. demus et nos aliquid ex illis
distinctioibus supernorum ciuitatum ad usum nostre puer-
sationis trahere. nos ipsosque ad incrementa vir-
tutum bonis studiis inflammaré. vñ ipsi homines
qui ad celestem patriam redeunt ex eis agnitionibus ali-
quod illuc reuertentes imitentur. **D**istincte namque
conuersationes hominum singulorum agniti-
onum ordinibus congruunt et in eorum so-
ritem per conuersationis similitudinem deputantur.
Cum ergo verbum tam politum thesauris quam sententia greg.
hoc promittat in munere. ut homines licet vi-
les vermiculi vixit de terra cum vermibus
procreati in angelorum debeant consorti

um deputari. ita sane ut secundum quod plus vel minus habent in meritis supra vel infra ad meritum compassionem cum angelis collocentur. ideo cum summa diligentia laborandum est et laborando conandum. qui quibus ad quos perveniant. hoc est qui homines quibus exercitijs ad quos angelos sunt venturi. cum enim premia meritis correspondere iuxta illud mat. vii. eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis. et iuxta illud Apo. Nolite errare. deus non irridetur. Que enim seminaverit homo hec et metet. certum est et indubitata veritas si dei christiane tenet. ut infirmi in meritis esse infirmi in celo. mediocres cum medijs. et super premi cum supremis angelis ordinentur. hec ergo per ordinem prosequentes

R

Primo videamus qui ad infimum ordinem hoc est ad angelos collocentur. et sunt qui cum infimis et minimis meritis transeunt de hac vita. Illi autem habent minima merita qui ex se nihil habentes solum in christi meritis assumuntur. non quod in se sint minima sed quia de suo nihil penitus addiderunt. quorum duo sunt genera scilicet parvulorum in baptismo decedentium. et peccatorum per finalem penitentiam convertentium qui cum nihil de suo penitus posuerunt. ad infimum ordinem hoc est ad angelos assumuntur. Ipsi enim sunt qui minima nunciant hoc est nunciant a deo minima se habere. de his di. greg. Sunt plerique qui parva capiunt. sed tamen hec eadem parva pie annunciare non desistunt. Isti itaque ad angelorum numerum currunt qui in baptismo innocenti et in finali penitentia solum decedunt. ut ex necessitatis articulo prepediti nec confessionem nec satisfactionem aliquam addiderunt. hi quia infirmi sunt in meritis ad locum infimum hoc est ad angelos deputantur. Non enim negamus eis veniam quantumcumque sero peniteant. di. augu. Nulla penitentia potest esse nimis severa dummodo sit vera. et ideo ex tali penitentia concedimus eis apertionem regni. sed quia nudi sunt proprijs meritis exigente iusticia in locis infimis collocantur. Secundo sunt nonnulli qui super predictam cordis contri-

tionem addunt fidelissimam oris confessionem purissime se de omnibus commissis accusantes. et ipsam confessionem cum debitis circumstantijs in sacerdotis audientia fideliter proponentes et nihil ex omnibus contrigentibus obmittentes. Talis enim confessio statim ut ab ore progreditur. oim impetrat veniam peccatorum di. greg. Confessionem nostram ex puro corde deliderat deus et cuncta que deliquimus relaxat deus. Isti ergo inter archangelorum numerum deputantur. Cum enim primi ex sola cordis contritione inter angelos assumuntur. merito isti qui plus ponunt superaddentes confessionem altius id est in archangelorum ordinem assumuntur. Sed diceret aliquis. Cum angelorum nomen officij sit non nature. ut tunc primum secundum gre. angeli dicantur quando mittuntur. qua ratione ista duo genera hominum angelis et archangelis associantur cum nihil videntur hominibus nunciare. Ad quod dicendum. quod hi hominibus nihil nunciant deo tamen per cordis contritionem et eius vicario per fideles confessionem nunciant pacem. et quia archangelorum secundum greg. proprium est magna nunciare. isti secundi merito inter eos collocantur quia magna nunciant. quia reverentia maxima est et maxima nunciant qui feda sua denunciant confessori di. enim gregori? quod in plerisque verecundis hominibus maioris est certaminis feda confitendo detegere quam eadem non committere. Tercio secundum greg. sunt virtutes. qui ideo sic dicuntur quia per eos signa et miracula fiunt. Ad hoc ergo societatem illi homines merito assumuntur qui strenue et viriliter predictis duobus videlicet contritioni et confessioni satisfactorum adiungunt debitam et condignam quod lu. iij. baptista movit di. Facite dignos pnie fructus quod expones greg. di. per hoc quod di. facite dignos pnie fructus. omni scilicet quod pnia puenit ut ratio maiora grat bonorum luc per pniaz quanto graviora sibi intulit dāna p culpam tam viriliter satisfaciētes ut commissis malis in numero in pondere et mensura rememur. Nam de numero dicitur iob. Quet omnia que fecit. de pondere vero dicitur Ero

ij. Equalis ponderis erunt omnia de men-
sura autem dicitur deuteronomio. Pro mensu-
ra peccati erit modus plagatum. et quia ta-
lis satisfactio hic descripta maximam habet
difficultatem et virili indiget fortitudine.
ideo qui taliter satisfaciunt et tam viriliter
se exercent. merito virtutibus apponuntur.
Non enim accipitur hic virtus prout est ha-
bitus mentis sed pro virili animositate. et
ideo qui strenue viriliter et efficaciter satis-
faciunt viri sunt id est animosi. et idcirco
virtutibus sociantur. nam ipse virtutes an-
gelice non ex habitu mentis sed ex perfecta
completione agendorum suorum taliter sunt
vocati. Et notandum quod isti tres ordines in
vnam ierarchiam id est in infimam coeunt
quia et homines qui in has tres ordines ve-
niunt vnam completam penitentiam perfici-
unt et perfectam. **¶** Quarto loco et
ordine secundum greg. ponuntur potestates
ad quos illi assumuntur. qui post predicta
exercitia contritionis. confessionis et satisfac-
tionis. per que peccata omnia sunt deleta in
arctissimis se constringunt induentes vitam
asperam et austeram et per fortissimam resi-
stentiam carni mundo et dyabolo ne iterum
illabantur penitenda. fortiter se opponunt.
dicentes illud cant. v. **¶** **A**ui pedes meos quomodo
modo iterum inquinabo eos. exui tunicam
meam quomodo reinduar illa. omnem ergo
carnis consolationem mundi delectatio-
nem dyaboli persuasionem fortiter refugi-
unt et eorum opposita scilicet penitentiam pau-
pertatem et humilitatem potenter assumunt
merito ad potestatum ordinem assumunt.
nisi enim malis fortissime resisteremus. ci-
to nos predicta tria per impugnationem tra-
herent ad peccata dicente domino deuteronomio.
¶ **S**i volueritis interficere habitatores terre
qui remanserint. erunt vobis quasi clavi in
oculis et lancee in lateribus. **¶** **A**dhuc enim
post peccatorum remissionem permittuntur
in nobis reliquie eorum scilicet vitia ut in eis
exerceamur dicente domino iudicio. **¶** **N**on dele-
bo hostes tuos anno vno ut in ipsis experi-
at israel vtrum custodiunt mandata mea.
¶ **D**e sunt gentes quas dominus dereliquit
ut erudiret in eis israhel. et postea discerent si

lij eorum certare cum hostibus. et ideo nisi eis-
dem reliquijs fortissime resistamus erit no-
uissima peiora prioribus et hoc est quod lo-
ratur nos dominus mar. **¶** **C**ontendite intra-
te per angustam portam: ardua enim est via
que ducit ad vitam. hinc apud ephesios. **¶** **V**ide-
te quomodo caute ambuletis. **¶** **C**ur hoc? quia
ut ait ber. tres hostes habemus precipuos
precipuum suadentes. carnem mundum
et dyabolum ex quibus duo si aliquando in-
termittunt nunquam tamen penitus dimittunt
tercius autem dyabolus vicis ita inexorabili
aduersum nos odio conuicitur. ut nunquam ab
eo indurias ad vnius ictum oculi extorque-
re valeamus et subiungit. **¶** **P**roinde vigilan-
dum et somnus ab oculis auferendus est.
quia latrones frequenter obsident iter nemi-
toricatis missilibus formidandi nullum pro-
sus intempatum transientes. **¶** **A** **D**is
ergo tribus hostibus est tripliciter resisten-
dum secundum quod nos diuersimode aggre-
diuntur scilicet per abstinentiam. patientiam
diligentiam. **¶** **P**rimo dico quod caro impugnat
per concupiscentias et carnalia desideria. spem
enim appetit voluptari. ociari. delectari. in-
crassari impiguarum. cui per omnium istorum
abstinentiam potenter et viriliter resistamus.
nihil ex omnibus his admittentes nisi quod
ad seruendum deo ad victum sunt ei neces-
saria et vestitum. tenentes corpus ut ait berni-
sicut egrum commendatum cui multum vo-
lenti inuilia sunt neganda. vtilia vero nolent
ingerenda. sic de eo agere sicut de non suo
sed eius a quo precio magno empti sumus
¶ **S**ecundo impugnat nos mundus. tribu-
lationes turbationes et multiplices miseria
super nos cumulando. nunc mala nobis in-
ferens ab amicis. nunc ab inimicis. nunc a
superioribus. nunc ab inferioribus. nunc ab equi-
libus. nunc vero a falsis fratribus a quibus
omnibus multipliciter tribulamur. que si
potenter vicere cupimus. ipsa sunt pro pacia
sufferenda. nulli vnquam malum pro malo
retribuentes quod monet apostolus ad ephesios. di.
¶ **O**bscuro vos ut digne ambuletis
vocatione qua vocati estis cum patientia sup-
portantes inuicem in caritate solcite serua-
te vnitatem spiritus in vinculo pacis. **¶** **T**er-

cio impugnat nos dyabolus bona que faci-
 mus quantum preualet vitando. **U**er-
 enim aduersarius cum videt priorum hosti-
 um impugnationes viriliter euasisse. tanto
 acrius nos impugnat quanto scit post illos
 nullum alium superesse. videns enim qd p-
 priores hostes ad mala non trahimur bona
 ad que conamur nititur impedire. qd greg-
 expresse declarat dicens. Antiquus hostis
 bona nostra tribus modis insequitur scilicet
 in principio vitando. intentione. vel in fi-
 medio per negligentem actionem. vel in fi-
 ne per inanis glorie illaqueationem. quo-
 rum omnium laqueos per diligentiam eua-
 demus. si igitur super terram a deo poten-
 res erimus. vt carni per abstinentiam. mun-
 do per patientiam bonis nostris operibus per
 diligentiam occurrimus. exigentibus no-
 stris meritis ad potestatum ordinem assu-
 memur. **U** **Q**uinto super priores
 ordines sunt principatus ad quos assumen-
 tur qui per priora exercitia a malis elongari
 et bonis exercitijs emendati extunc in al-
 tum se contrahunt conuersationem suam
 cum deo habentes et a populari statu lon-
 ge recedentes discunt se nobiliter exercere
 vt ex nobilibus actibus nobilitate aliquan-
 do duce gratia in principes promoueantur
Licet autem multa confluant ex quibus prin-
 cipatus principum subleuetur. **S**unt ta-
 men duo bona que principaliter et pre cete-
 ris omnibus hos adornant scilicet virtuosita-
 tas et generositas vt videlicet sint virtuosita-
 et generosi. **V**irtuosi in morum claritate. ge-
 nerosi in sublimi nobilitate. **I**n his etiam
 duobus oportet nos spiritalem principem
 adornare. cum ergo spirituales homines ex
 predictis exercitijs multa habeant commu-
 nia cum nobilibus principibus. vt pote qd
 sunt a sedis mundati per penitentiam. a vi-
 cijs preseruati per resistentiam. a populari
 statu elongati per patientiam. diuicijs dita-
 ti per bonorum operum diligentiam. **N**unc
 super est vt per virtutum flagrantiam fiant
 clarificati et per nobilem prosapiam sint in
 principes subleuari. **U**t ergo altius id est
 ad principes promoueamur. primo exqui-
 rende sunt nobis virtutes vnde crescimus

inter quas prima et precipua est caritas qua
 habita omnes habentur et qua non habita
 nulle possidentur. **U**nde greg. **S**icut mul-
 ti arboris rami ex vna radice prodeunt. **S**ic
 multe virtutes ex vna caritate generantur.
 nec habet aliquid viriditatis ramus boni o-
 peris. si non manserit in radice caritatis. **E**t
 hac ergo caritate omnes virtutes generan-
 tur et generate in ea omnes conseruantur.
 licet enim omnes virtutes ex effectu operis
 diuersis vocabulis nominentur. omnes ta-
 men in radice caritatis nomine nuncupantur
 quam quanto nobiliter possidemus tanto
 clarius elucemus. et quanto sumus feruen-
 tiores. tanto sumus apud deum gloriofio-
 res. vnde **A**ugustinus. **S**umma apud de-
 um nobilitas est clarum esse virtuti b. **S**e-
 cunda virtus ad principatum nos promo-
 uens est clara et nobilis prosapia. hanc au-
 tem nobilitatem ex dei consequimur visita-
 tione. cum enim visitati diuina intrus pre-
 sentia illustramur abesse nostro ignobili re-
 cedimus et deo summo principi iam vniti
 vniti autem deo non ipse transit in nos sed
 nos in ipsum. et quia ipse est princeps regum
 terre. ideo ei vniti erimus principes sicut ip-
 se. nam vt ait bernardus. principum filios prin-
 cipes et regum reges quis esse nesciat. multo
 magis vnitus principi deo debet princeps
 merito appellari. **I**am vt ait apostolus. qui
 adhaeret deo vnus spiritus est cum eo. super
 quod **A**ugusti. **A**nima adhaerens deo deficit
 ab eo quod est anima et fit vnus spiritus cu
 deo. et iterum dicit **C**um inhaesero tibi ex om-
 ni me nusquam erit mihi dolor et labor sed vi-
 ua erit vita mea tota plena te. de his princi-
 pibus di. greg. **S**unt nonnulli qui acceptis
 virtutibus etiam electorum hominum me-
 rita transcendunt. cumq; et bonis meliores
 sunt electis fratribus principantur. quo er-
 go isti sortem suam nisi inter principatum
 numeros accipiunt. **S**exto sursum
 numerando ponuntur dominationes. qui-
 bus illi sociantur qui victis hostibus et exi-
 ctis bonis et malis per oia dominant. cu enim
 in priori statu sunt virtutibus roborati vt bo-
 num possint. visitatione illuminati vt quod
 possunt bonum delectabiliter prosequantur.

Et quibus adiuti tam magnifice se exercent
 ut rectore indigeant prohibente inardescunt
 enim in amore dei in quo sese in magnis ex-
 ercent operibus cunctaque difficulta sancti cer-
 tamini appetunt acceptis contumelijs gau-
 dent. flagrant desiderio subtrahere gratias non
 torpescunt sed forti conatu hec eadem agunt
 sine gratia que alijs vicibus cum gratia ope-
 rantur. hec et similia tam strenue exercent
 res ut bona in habitu transeant et vitia ener-
 ventur. que et si interdum caput exierint ex-
 ufflantur et minime curantur. et quo sit ut
 cum in his perseverauerint bonis et malis
 intus et exterius feliciter dominantur. bonis
 dico ut ad manum ea cum voluerint habe-
 ant. malis autem ut ea sine rebellionem amo-
 ueant. ut de exterioribus et interioribus dici
 de eis valeat illud ioseph Gene. Ipse do-
 minatur in tota terra egypti. mundum cum
 suis honoribus cum suis diuitijs et alijs ap-
 pendicjs sub pedibus conculcantes. de qui-
 bus adhuc dicit bern. Habent sensus suos
 exteriores non duces sed seruientes. interio-
 res sobrios et efficaces habent etiam omni-
 no domum et familiam cogitationum suarum
 sic ordinatam. ut dicant huic vade et vadit.
 alij veni et venit. et seruo suo scilicet corpori.
 fac hoc et absque contradictione facit. tales er-
 go et taliter viuentes. greg. ordinat ad domi-
 nationes dicens Sunt nonnulli qui sic in
 semetipsis cunctis vicjs dominantur ut ipso
 iure mundicie dii inter homines vocentur.
 quo ergo isti quorum compatione ceteri ho-
 mines (ut ita dixerim) serui sunt. nisi inter
 numeros dominationum currunt. ad quorum
 consortium et cetera.

XC

De eodem sermo quartus.

Qui vicerit dabo
 ei sedere mecum in throno meo ap-
 ost. et dicit ihu. Illi angeli in quibus est lin-
 gulariter rectitudo diuini iudicij throni nu-
 cupantur. a throno dei eo quod deus in eis se-
 deat et iudicia sua discernat. et cuncta subie-
 cta per illos disponat. Expediis ergo in pri-
 oribus ut cunctis exercitijs quibus ad singu-
 los ordines de quibus dictum est perueniamus.

Nunc dominus salutem nostram deside-
 rans proponit nobis thronos. tanquam or-
 dinem iterum altiorum ad quem post pre-
 dicta conandum et suspirandum nos alli-
 cit in verbo proposito dicens qui vicerit etc.
 ac si dicat. Qui vicerit priora dabo ei id est
 propono ei ut altius iterum perueniat ut in
 ordine thronorum mecum habeat mansio-
 nem. ad quem qui conatur et peruenire de-
 siderat. oportet eum vitam suam iterum al-
 tius instaurare et vestire thronorum virtu-
 tibus vitam suam. ut sicut illi pre ceteris in-
 ferioribus habent perspicaciam cognitionis
 in indicando quod iustum et equum est. sic
 et nos ad imitationem eorum discamus in
 iudicando iustum iudicium exercere. Et pro-
 ordo. quia in predictis didicimus vitam no-
 stram perficere ad perfectionem absolutam
 nunc perfecti in nobis facti debemus alia iu-
 dicare testante apostolo qui ait prime Cor-
 ij. Spiritus dii iudicat omnia. unde quia
 diu sumus imperfecti dicitur nobis illud.
 Ecclesiastici. Misere anime tue placens
 deo. postquam autem perfecimus vitam no-
 stram dicitur nobis illud Ecclesiastici. Recupera
 proximum tuum secundum vir-
 tutem tuam. Si ergo cupimus ad throno-
 rum consortium peruenire. omnia ad regu-
 lam iusticie per cognitionis perspicaciam
 iudicemus. **¶** Hec autem omnia
 triplici differentia continentur. iudicantes
 enim demus deo equitatem. nobis vilitate
 proximo pietatem. contra hec enim tria scilicet
 deum nos et proximum omne iudicium in-
 stauratur. Primo dico in indicando cau-
 sam dei. demus ei in omnibus que patimur
 equitatem. dicentes non solum voce oris sed
 omni cordis affectu illud ps. Iustus es do-
 mine et rectum iudicium tuum. subiungen-
 tes illud Gene. xij. Merito hec patimur
 quia peccauimus in fratrem nostrum scilicet
 iesum christum. quem non imitatur imp-
 perium eius portantes ut iubemur. hanc
 considerationem habebant omnes antiqui pa-
 tres de iudicio dei. quorum vnus scilicet da-
 niel dixit. Tibi domine iusticia nobis autem co-
 fusio faciei. Hinc greg. Deus qui benigne
 addidit hostem neque iniuste cruciari permittit.